

**Leges Stvdiosis In Academia Christiana Albertina Qvae Kilonii Holsatorvm Est  
Praescriptae Et Ad Continvam Officii Svi Commonefactionem Editae : [P. P. Kiliae  
sub sigillo Academiae die VI. Decembris MDCCLXXV.]**

Kiliae Holsatorum: Litteris Mich. Frider. Bartschii, [MDCCLXXV.]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727339185>

Druck Freier  Zugang



Kiel

1701.

D. II. 2.

1550.



Lf II 2  
7550

3

LEGES  
STVDIOSIS  
IN ACADEMIA  
CHRISTIANA ALBERTINA  
QVAE  
KILONII HOLSATORVM  
EST  
PRAESCRIPTAE  
ET  
AD CONTINVAM OFFICII SVI COMMONE-  
FACTIONEM EDITAE.



---

KILIAE HOLSATORVM  
LITTERIS MICH. FRIDER. BARTSCHII, ACAD. TYPOGR.

LEONHARD  
STADT  
IN ACADEMIA  
CHRISTIANA ALBERTINA  
RATONIT HOESATORVM  
PRAEFATIO  
AD CONTINUAM QVONIAM SVI COMMONE  
SACRORVM LIBRARI



LIBRARI  
RATONIT HOESATORVM

L E X. I.

**C**VM quilibet hominum, ipsaque haec Academia, a SERENISSIMO Fundatore ad gloriam DEI primario sit condita, vestri cumprimis est officii, DEVM Patrem, Filium & Spiritum sanctum adorare, colere ac reuereri, pietati studere, verbum Eius sacris bibliis reuelatum, & priscae ecclesiae symbola in summo pretio habere, sabbatum diesque festos alios rite obseruare, & ad eundem finem, DEI gloriam, studia, vitam, moresque vestros sedulo componere atque dirigere.

II.

Proinde nemo esto Diuini Nominis temerator, sanioris doctrinae Protestantibus professae contemtor, aut insectator. Nemo improbis moribus, temulentia atque inhumanitate sua DEVM hominesue offendito. Religionem iuramenti quisque sanctissime obseruato ac graue periurii crimen, quod ipsum praecipue DEVM ultorem habet, quanta potest diligentia, euitato.

III.

AVGVSTISSIMO REGI, ceu supremo Academiae Magistratui atque RECTORI MAGNIFICENTISSIMO, obedientiam atque humillimam subiectionem praestate, nil unquam iniqui noxiue in Eiusdem personam, ditiones ac prouincias, dignitatem aut iura, ipsamque hanc Academiam eiusque salutem, incrementum ac incolumitatem aut in hanc Ciuitatem quicquam seditiosi aut improbi moliminor.

IV.

Magnifico Academiae Pro-Rectori, Senatui Academico, omnibus & singulis Professoribus, aequae ac parentibus vestris, obedientiam, reuerentiam, obsequium & obseruantiam exhibete

V. Quis-

V.

Quisque vestrum intra octiduum, ex quo ciuitatem hanc fuerit ingressus, nomen suum apud Magnificum Pro-Rectorem profiteretur, seque iurisdictioni Academiae subiicito, omnibusque edictis ac decretis deinceps forte subsequaturis, non minus ac hic legibus, sine exceptione aut tergiversatione libenter pareto.

VI.

Quod auctoritate Magnifici Pro-Rectoris aut Senatus Academici publice propositum promulgatumue fuerit, nemo refugio, corrumpito aut ludibrio habeto: secus qui fecerit, gravissime punietur.

VII.

Citatus in iudicium venito, & sententiae modeste pareto: nec vadimonium siue arrestum, sine Pro-Rectoris expresso consensu deserito: hoc enim si quis violauerit; in periurii crimen se incidisse scito.

VIII.

Exclusus ab hac Academia per relegationem, intra milliare ab hac ciuitate, defectu pecuniae, aliusue causae obtentu, ne subsistito; ni ita fecerit, sibi imputet, si quid acerbius aut ignominiosius ipsi euenerit.

IX.

Pacis, concordiae & tranquillitatis estote amantissimi, siue cum commilitonibus vestris, siue cum ciuibus oppidanis, aliisque sitis. Cedat maiori minor, parcat minori maior, pares aequo iure vtantur.

X.

Qui infamem pennisimum ab omnibus bonis cordatisque damnatum ac proscripsum hic excitare & instaurare, aut seditiosa

tiosa conuenticula cogere, aut coetus nationales instituire, pecuniarum commestationumque exactione, aliisque iniquis modis nuper academiam ingressos studiosos diuexare ausus fuerit, tanquam academiae hostis ac perduellis, arbitraria, eaque grauissima, poena coercitus, exterminabitur.

XI.

Duella ciuibus nostris, albo academico inscriptis, penitus interdicta sunt.

XII.

A vi quoque publica & priuata prorsus abstinete, veluti aedium effractione, fenestrarum elisione, hominum innoxiorum pulsatione, similibusque aliis facinoribus. Vis enim publica ad minimum relegatione publica, priuata, aut carcere, vel mulcta erit compensanda.

XIII.

Si quis vigiles aliosque securitatis publicae gratia excubias agentes adortus, fuerit pulsatus, vulneratusque, non audietur, sed pro conditione facti insuper poena afficietur. Si vero illorum aliquem occiderit, ordinaria homicidii poena reo irrogabitur; si illorum quempiam vulnerauerit, aut vim cuiquam fecerit, publica relegatione eiicietur.

XIV.

Quisquis armis suis abusus fuerit, in qualicumque congressu, facinore, aut proposito, praeter poenam arma protinus caduca sunt, & Magnifico Pro-Rectori sine mora aut tergiversatione exacta traduntor.

XV.

Ignem neque serio neque ioco intra moenia quis iacito.

XVI.

## XVI.

Qui faces in plateis aut domibus circumtulerint, aut ad domicilia eorumve antipagmenta alliferint, circumspicte hoc agant; alias grauiter punientur.

## XVII.

Nocturnae grassationes, vociferationes, telorum strepitus, tumultusque arbitraria poena, quanta remedio esse possit, punientur.

## XVIII.

Mendacia, calumnias, obrectationes, conuitia, contemptum & oppressionem pauperum, omnis generis fugite. Nam, si quis homo priuatus sibi potestatem aliorum mores ignominia notandi sumserit, aut innocentium existimationem falsis criminibus, sycophantiis, vel libellis cantilenisue famosis lacerauerit, is deprehensus, infami exclusione ex academia eiicietur.

## XIX.

Quod delictum puer aut famulus commiserit, eius dominus quoque reus esto, si nequitiae ministrum non prohibuit, cum prohibere potuit.

## XX.

Castitatem, sobrietatem, temperantiam & modestiam in omni vita sectemini, occasiones libidinum & intemperantiae, ganeas, popinas, & cauponas publicas fugite. Qui contra fecerit, legitimae poenae se obnoxium reddet.

## XXI.

Nemo in domos, vbi celebrantur nuptiae, non vocatus irrumpat, nec sacri connubialis chorearumve sollempnia turbet.

## XXII.

Nemo in aedes alienas, vel alterius museum, inuito inhabitatore, introito: nec inuitum inde euocato vel abstrahito.

## XXIII.

## XXIII.

Nemo larvatus siue personatus, neque diurno, neque nocturno tempore prodito.

## XXIV.

Ex mutuo, vel ex emto, vel conducto, vel alio contractu quod debetis, eius solutionum ultra diem, quo promissistis, invito creditore, non differte.

## XXV.

Pro victu & potu vel pecuniam repraesentate: vel quouis trimestri sine mora soluite. Quumque locationes & conductiones museorum & lectorum, nisi expressis verbis aliter conuenierit, festo Paschatis & Michaelis, adeoque semestri tempore, definiantur; si mutare sit animus, sex hebdomades ante hos praefinitos terminos contractui renunciandum est: Conductor, qui id neglexerit, etiamsi hinc discedens, dimidium semestris locarii persoluito.

## XXVI.

Inuitis creditoribus, nemo hinc se subducito.

## XXVII.

Denique modum ponite cupiditatibus & affectibus vestris: coërcete voluptates, refrenate iram & vindictae cupiditatem; fugite luxum, superbiam, ambitionem, caeterasque animorum pestes; moresque vestros ad normam legum componite. Praemia morigeris & obsequentibus praebentur, in refractarios & immorigeros pro re nata Magistratus animaduertet. Si qui vero crediderint, se fallere Magistratum posse, meritaque poenae se subduxerint aut spe impunitatis liberius peccatis indulserint, Deum habebunt vindicem. Ille enim pro sua prouidentia pro bonis bona, pro malis mala reddet.

LEGES

LEGES  
BIBLIOTHECAE PVBLICAE ACADEMIAE  
KILONIENSIS.

PRORECTOR  
PROCANCELLARIVS ET SENATVS ACADEMIAE  
KILONIENSIS CIVIBVS SVIS.

**B**ibliothecam Academiae publicam licet in posterum non minus, quam hucusque, vobis etiam vestrisque studiis patere cupiamus, illam tamen ea tantum lege vobis pandere possumus, vt & conseruationi librorum & publico commodo maxime prospiciamus. Igitur qui librorum copiam sibi fieri exoptant, sequentia observent.

I. Librum nemo accipiet, nisi schedam exhibnerit Bibliothecario, Professoris manu & nomine subscriptam.

II. Eundem post quatuordecim dierum decursum reddat & quidem

III. incolumem & illaesum. Qui secus fecerit, ad reparationem damni se obligatum esse sciat, paratissimo Magistratus auxilio exigendam.

IV. Librorum in Bibliotheca ordo quoniam facillime perturbatur, nemini vestrum fas erit, libros e forulis suis manibus tollere, aut eam ob causam scalam ascendere. Quicquid librorum exoptant, petant a Bibliothecario atque ab illo communicationem expectent.

P. P. Kiliae sub sigillo Academiae die VI. Decembris  
MDCCLXXV.

(L. S.)  
ACAD.)

*Gottb. Traug. Zachariae*  
Acad. h. t. Prorektor.

Th. H. Dreyer.

A. Bode  
Buchbinderei  
Schwerin L.M.





Landesbibliothek  
Mecklenburg-Vorpommern  
Günther Uecker

[http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn1727339185/phys\\_0012](http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn1727339185/phys_0012)

**DFG**

ris studiosi ius publicum familiarissimum sibi red-  
dant non particulare solum verum etiam vniuersale  
aeque ac ius gentium & quicquid doctrinarum cu-  
iusuis muneris publici in dicasteriis & collegiis pro-  
vinciarum Regia auctoritate constitutis subeundi  
caussa vel omnino necessarium vel apprime utile  
est, quorsum spectant Historia iuris, ars interpre-  
tandi leges, quam Hermeneuticam iuris vocant, ius  
feudale, Processus imperii romano germanici, Phy-  
sica etiam & Historia naturalis, cet. Etenim ne-  
mo, nisi superato hoc examine academico, ad exa-  
mina supremi dicasterii vel Slesuicensis vel Glück-  
stadiensis admittendus est. Quemadmodum Plato  
scholae, quam in Academia habuit, philosophicae  
inscripsit: nemo Geometriae ignarus accedat, ita  
Rex noster Augustissimus nemini sacra Themidis  
adeunda esse existimat, nisi omnibus illis doctrinis  
erudito, sine quibus iuris studium, vulgaris opificii  
instar, scientiae nomen tueri non potest.

His instructi praesidiis quum habeant non so-  
lum quo vitam commode sustentare valent, verum  
etiam quo viam sibi pandunt ad honores amplissi-  
mos, & quod longe maius & praestantius est, Su-  
premi

